



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90118014**

§. 45. Epistola contra Concilium Papiense scripta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](#)

Germaniæ extiterunt, qui se noxio Sæcul. XII.  
schismate involvi passi non sunt. Nec A.C. 1160.  
temere, sed post longam demum delibe-  
rationem Archiepiscopus legitimus Pa-  
pam recepit, facti sui rationem reddens,  
quod tota Ecclesia (nempe pars major)  
in Alexandrum consenseret. Quamvis  
vero tanta libertas Fridericum Impera-  
torem graviter affligeret, nihilominus  
durius in Præsulem consulere non aude-  
bat, sed quoties ad Curiam veniret  
Eberhardus, emicans ex S. Viri vultu  
majestas Principem in officio continebat.  
Id non nunquam Fridericus proprio ore  
fatebatur; at S. Præsul exilium vel mor-  
tem pro Deo sustinere sive schismatis  
sive quacunque alia occasione ardenter  
desiderabat. Obiit S. Eberhardus annis  
quatuor a Concilio Papiensi elapsis, illa  
nocte, quæ inter Dominicam & diem  
Lunæ, vigesimam secundam Junii inter-  
cedit, anno a partu Virginis millesimo  
centesimo sexagesimo quarto, ætatis  
septuagesimo nono, & Pontificatus sui  
decimo octavo. Multa' miracula ad ejus  
tumulum patrata leguntur, & ipse in  
Sanctorum numerum relatus est.

§. XLV.

*Epistola contra Concilium Papiense  
scripta.*

**H**enricus Cardinalis Presbyter, olim *Bibl. Cist.*

Aa 3

Mo-to. 3. p. 241.

Sæcul. XII. Monachus Clarævallensis, Odo Cardi.  
A. C. 1160. nalis Diaconus, & Philippus Abbas de  
 Eleemosyna, Monasterii Ordinis Cister-  
 ciensis in Diœcesi Carnutensi, data epi-  
 stola encyclica, omnes Præsules & Fide-  
 les contra epistolam Synodalem Concilii  
 Papiensis præmunierunt. Inprimis Ju-  
 dicium haud fuisse competens affirmant,  
 & dicunt: *Si Ecclesia Romana circa ali-  
 quam causam judicanda est, Romæ ab Epi-  
 scopis illius provinciæ, & universali  
 totius Ecclesiæ Concilio judicanda erat.  
 Romæ majore facilitate & libertate, quid  
 in electione Alexandri actum sit, cognosci  
 potuisset.* Tum postquam affirmarunt,  
 Jus eligendi Papam tribus Cardinalium  
 Ordinibus, Episcoporum, Presbytero-  
 rum & Diaconorum esse reservatum,  
 subjungunt: *Si ad electionem Papa Cap-  
 titulum Basilicæ S. Petri admittitur, cur  
 non etiam Canonici Ecclesiæ Lateranensis,  
 quæ Romæ prima est, cur non Clerici  
 S. Mariæ Majoris, cur non Abbates  
 monachique S. Pauli & S. Laurentii, qua  
 omnes Ecclesiæ Patriarchales sunt, ad-  
 mittantur?* Quædam deinde S. Petri  
 Decano, Schismatico veterato, Petri  
 Leonis Sectatori, speciatim exprobrant.  
 Refutant etiam, quod dicebant Schis-  
 matici, Alexandrum in sua Bulla fassum  
 fuisse, quod Octavianus a duobus Cardi-  
 nalibus fuisset electus, cum in ea tantum  
 nomina-

nominatus dicatur, ex quo non seque- Sæcul. XII.  
retur, fuisse electum. A.C. 1160.

Merita Alexandri dilaudant, & accusant Octavianum, quod quædam vi adhibita peregisset. Illis vero, qui Alexandrum damnabant, eo quod nomine ipsius nemo ad Concilium Papiense venisset, causam defensurus, respondent: *In illam regionem ad agendam Pontificis causam missi eramus, cum vero in eo negotio Imperatorem adire voluimus, tuto accedere non licuit. Undique minæ sonabant, undique terrebant mortis pericula. Animus erat, in conspectum Imperatoris procedere, non ut Judicium, nomine Ecclesiæ proferendum, subiremus, sed ut veritas rei, sicut peracta erat, ad Imperatoris aures perveniret. Verum banc licentiam (id Deus, scrutator cor- dium, scit) obtinere non potuimus.*

### §. XLVI.

#### *Epistolæ Arnulphi Lexoviensis.*

Arnulphus ex Archidiacono Sagiensis, Mabil. ad  
anno millesimo centesimo quadra- ep. 348.  
gesimo primo, Episcopus Lexoviensis, S. Bern.

Vir in Regis Angliæ ditionibus inter  
Præsules nec scientiæ laude nec auctori-  
tate ulli secundus, ubi Alexandrum ele-  
ctum fuisse fama percepit, ad eum epi-  
stolam dedit, in qua Papam legitimum  
salutat, animum contra Schismaticos

Aa 4 addit,

*Arnul.*  
ep. 19.